

cessit aliquam saltem ex parte legis, et doctrinæ etiam interioris, et non amplius, et hæc pertinet ad sufficiens auxilium. In eo vero quod non amplius concessit, vel solum ad facilius, non veram gratiam admisit, sicut a catholicis ponitur.

QUID ALII DISCIPULI PELAGII SUPER
IPSUM ADDIDERINT?

Cum a Pelagio, et Cœlestino sub tot ambiguitatibus, et ambigibus nihil amplius posset extorqueri in confessione divinæ gratiæ, quam id quod hucusque ex ipso retulimus, et ex Augustino qui præcipue in libro de gratia Christi, exactius mentem, sensumque Pelagii in hac materia detexit, cœperunt ejus discipuli dividi.

XXI. Ac primo, episcopi quidam Pelagiani in epistola quam Thessalonicam miserunt, cujus mentionem facit Augustinus libro II contra duas epistolas Pelagianorum, cap. I, et cardinalis Beronius anno Christi 449, num. XLV, admiserunt gratiam Dei subsequenter, et adjuvantem bonum propositum, atque simpliciter necessariam ad faciendum opus perfectum, et consummatum, non tamen prævenientem ex parte voluntatis, ita quod reluctanti cordi Deus illam immitteret, nec simpliciter necessariam ad ipsius imperfecti operis cupiditatem. Quod enim ipsi admitterent, gratiam Dei adjuvare bonum propositum, non tamen ita quod reluctanti studium virtutis immitteretur, clare liquet ex ipso Augustino libro ipso secundo contra duas epistolas Pelagianorum, cap. V et VI, in verbis supra jam relatis: « Gratiam quoque adjuvare uniuscujusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere; » hoc enim dicebant esse ideam, ac sub

nomine gratiæ fatum ponere. Quod vero dicerent aliquam gratiam dari, non solum ad facilius, sed etiam ad simpliciter, non quidem pro quocumque opere, etiam imperfecto, sed pro perfecto, et consummato, clare significat Augustinus libro II citato, cap. VII, et in hoc eos a Pelagio magistro suo discernit. Verba Augustini sunt: « Pelagius facilius dicit impleri quod bonum est, si adjuvet gratia. Quo addimento, id est, addendo facilius, significat hoc se sapere, quod etiamsi gratiæ defuerit adjutorium, potest quamvis difficilius impleri bonum per liberum arbitrium. Sed istis quid in hac re sentiunt, non de illo auctore hujus hæresis, præscribamus. Præmittamus eos cum suo libero arbitrio esse liberos, et ab ipso Pelagio ad quem ista verba eorum, quæ in hac cui respondemus epistola posuerunt, potius attendamus. Hoc enim nobis objiciendum putarunt, quod invito ac reluctanti homini Deum dicamus inspirare, non quancumque boni, sed et ipsius imperfecti cupiditatem. Fortassis ergo ipsi saltem eo modo servant locum gratiæ, ut sive illa putent hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem, perfecti autem non facilius posse, sed nisi per illam omnino non posse. Verum et sic gratiam Dei dicunt secundum merita nostra dari, etc. » Sic Augustinus de his Pelagii discipulis. Ubi apparet, quomodo post Pelagium videbantur aliquam gratiam ad simpliciter, confiteri, licet id cum aliqua hæsitazione dixerit Augustinus in illo verbo fortassis, etc. non quidem pro prima incœptione, et imperfecta boni cupiditate, seu desiderio, sed pro perfecta. Unde nomen gratiæ adjuvantis absolute non respuebant, quia adjuvare simultaneo concursu supponit aliquid quo adjuvatur, et cum Deus non adjuvet nisi bonum, dicebant

istam gratiam supponere bonum propositum, et sic gratiam consequentem videbantur concedere, non prævenientem; ad opus tamen perfectum dicebant ita gratiam istam adjuvantem requiri, quod non solum ut facilius possit, sed ut simpliciter voluntas possit, requirebatur. Et hunc sensum istorum discipulorum Pelagii, videtur postea secutus Vitalis, ad quem scribit Augustinus epistola CVII, et Massilienses, seu Semipelagiani de quibus articulo sequenti.

XXII. Secundo, alii convicti ad ponendum gratiam quam catholicis asserebant, in aliud extremum declinarunt, confitendo gratiam, sed tollebatur liberum arbitrium, ideoque dicebant non esse necessariam correptionem pro male agentibus; sed solum Deum esse orandum, ut det nobis Spiritum et gratiam quam bonum operemur, si quidem ipse operatur in nobis velle. Hi autem fuerunt quidam monachi Adrumentini sub Valentino abbate, ut colligitur ex Augustino libro primo retract. cap. LXVI, quibus etiam scriptis idem Augustinus epistolam XLVI et XLVII et ad eos instruendos, ac reducendos misit librum de gratia et libero arbitrio, et de correptione, et gratia, ubi ostendit non tolli liberum arbitrium per gratiam Dei, potius enim per gratiam perficitur ad operandum liberum arbitrium modo libero, et sibi proportionato; imo ubi non est libera operatio, gratia nihil facit. Nec etiam tollitur correctionis necessitas, quia correctione utitur Deus tamquam medio extrinsecus adhibito, ut intus operetur bonam voluntatem.

ARTICULUS IV.

Quid senserint Semipelagiani?

I. Dicti sunt Semipelagiani quidam hæretici, qui non ex toto erro-

rem Pelagii sequebantur, sed in plurimis ab eo discedentes aliquid tamen de ejus erroribus retinebant, præsertim in materia de prædestinatione, et initio bonorum operum, ut mox referemus. Et quidem cum Pelagiana hæresis multis scateret erroribus circa peccatum originale, circa carentiam omnis peccati in viris perfectis, circa necessitatem gratiæ ad bene operandum, varie discipuli Pelagii, imo et Pelagius ipse moderationem suæ sententiæ temperarunt, nec tamen Semipelagiani sunt dicti, sicut illi qui a Prospero, et Hilario in suis epistolis Augustino significantur, et proprie dicti sunt Semipelagiani, seu reliquiæ Pelagianorum, eo quod illi qui temperabant sententiam Pelagii, nullum fere errorem Pelagii abjiciebant, sed verbis potius ludebant, eadem diversis verbis iterum atque iterum inculcantes. Semipelagiani autem multos ex erroribus Pelagianorum negabant, admittentes peccatum originale, et baptismum etiam parvulis esse dandum, gratiam quoque esse necessariam pro bonis operibus, solum vero initium bonorum operum, sicut est fides, oratio, desiderium, et similia, esse ex nobis. Quare omnes illi discipuli Pelagii qui eum ita moderati sunt, ut dicerent Deum non inspirare nobis etiam ipsum initium boni, et imperfecti operis cupiditatem, nec reluctanti cordi studium virtutis immittere, ne Deus diceretur acceptor personarum, isti, inquam, Semipelagianismo viam aperuerunt, et occasionem Semipelagianis dederunt suam hæresim suscitandi, sicut fuerunt illi episcopi, quorum epistolam Augustinus impugnat, libro secundo contra duas epistolas Pelagianorum, et hæc refert de illis c. V, VI et VIII, prout in fine præcedentis articuli retulimus. Maxime etiam ad hanc hæresim

videtur occasionem præbuisse Vitalis, ad quem Augustinus scripsit epistolam CVII, qui quidem a Pelagio discedebat in eo quod a fidelibus, etiam bonam voluntatem habentibus, dicebat Deum esse creandum, et gratias ei agendum pro gratia data ut proficiant. At vero ipsum initium fidei, et bonæ voluntatis dicebat esse a nobis, quod prorsus ad errorem Semipelagianorum pertinet: sic enim de ipso inquit Augustinus sub finem citatæ epistolæ: « De orationibus fidelium, quas pro se, et pro aliis fidelibus faciunt, ut proficiant in eo quod esse cœperunt, et de gratiarum actionibus, quia proficiunt, conflagandum esse secum non puto. Contra Pelagianos est iste conflictus tibi, nobisque communis (ecce quomodo a Pelagianis discedebat in hoc Vitalis.) Ille quippe omnia ad fidem, piamque vitam hominum pertinentia ita tribuunt libero voluntatis arbitrio, ut habenda ex nobis, non a Domino putent esse poscenda. Tu autem si ea quæ de te audio vera sunt, initium fidei, ubi est etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis, non vis donum esse Dei, sed ex nobis nos habere contendis, cætera autem religiosæ vitæ bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus, donare consentis. » Ecce quomodo Vitalis sola initia bonæ voluntatis, ipsam fidem docebat ex nobis esse; cætera vero bona opera ex gratia Dei, quod ipsum Semipelagiani affirmabant. Unde in ipso videtur eorum errorem fuisse inchoatum. An vero in aliis omnibus quæ Semipelagiani vel negabant contra Pelagium, vel asserebant ut propria, Vitalis cum eis conveniret, ita ut plene, et in omnibus Semipelagianus esset, ex illa epistola, nec ex aliis scriptis mihi non constat, ideoque sufficit pro nunc dicere hunc errorem quem de Vitali com-

memorat Augustinus fuisse etiam Semipelagianorum, alios vero errores, et capitula, in quibus errabant Semipelagiani expressius invenimus in his, quæ de ipsis referunt Prosper, et Hilarius ad Augustinum.

II. Igitur ut eorum errores qui in Gallia, et maxime apud urbem Massiliam, unde et Massilienses dicti sunt, in ipsa fere ultima Augustini ætate cœperunt, radicatus percipiamus, est advertendum quod eo fere tempore quo Augustinus Pelagii hæresim expugnabat, alia quædam hæresis emersit, cujus meminit Sigebertus in chronico, anno Christi 415, ex quo eam refert Baronius, anno 490, num. XVI, quæ appellata est hæresis prædestinationum. Asserebant isti prædestinationem esse velut quoddam fatum tollens liberum arbitrium, ita quod nec pie viventibus dicebant prodesse bonorum operum laborem, si sunt ad damnationem a Deo præsciti, nec improbis obesse, etiam si improbe viverent, si a Deo essent prædestinati. Occasione ergo damnandi hanc hæresim simulque declinandæ impietatis Pelagianæ, docti aliqui, et non parvæ auctoritatis viri in Gallia cum eis Augustini doctrina, præsertim circa infallibilitatem prædestinationis, et præventionem gratiæ, quæ datur etiam malis ut boni fiant, displiceret, declinarunt in aliud extremum, negantes infallibilitatem prædestinationis, et doni perseverantiæ, et similiter initia bonæ voluntatis a gratia non dari, sed supponi asserebant, ne personarum acceptio esset apud Deum, dum his qui æqualiter mali sunt, et peccatores, dat aliquibus gratiam, aliis negat. Maxime autem ad hoc impulsus sunt occasione libri de correptione et gratia, in quo Augustinus præsertim capite XII distinguit auxilium quo aliquis non nisi perseverans fit

in bono (illud vocatur efficax) ab eo quo potest fieri perseverans (quod est auxilium sufficiens) docuitque indeclinabiliter, et inseparabiliter agi voluntatem nostram ab efficaci auxilio. Hanc doctrinam nequam recipientes Massilienses illi, eruperunt in errorem prædictum: « Evenit, inquit Prosper in epistola ad Augustinum, ex dispositione divinæ misericordiæ, ut cum quosdam intra Africam similia movissent (forsitan Vitalem, et alios similes denotat, qui in Africa ab Augustini sententia recedebant) librum de correptione et gratia plenam divinæ auctoritatis emitteres. Quo in notitiam nostram insperata opportunitate delato, putavimus omnes querelas resistentium sopiendas, etc. Recensito autem hoc beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam, atque apostolicam doctrinæ tuæ auctoritatem ante sequebantur intelligentiores multo, instructioresque sunt facti, ita qui persuasionis suæ impediabantur obscuro, aversiores quam fuerant, recesserunt. »

Igitur Semipelagiani in duobus recedebant a Pelagio, tum circa peccatum originale, tum circa necessitatem gratiæ. Circa peccatum originale fatebantur, omnes homines nasci tali peccato obnoxios, et non nisi per gratiam Dei, et justitiam secundi Adam aliquos ab isto malo liberari. Circa necessitatem gratiæ docebant gratiam Dei requiri ad opus bonum, ita ut nec ad incipiendum, nec ad perficiendum illud, sibi quisque posset sufficere; et sic non solum adjuvari, sed etiam præveniri hominum voluntates a divina gratia ad bona opera fatebantur. Ita refert de ipsis Augustinus libro de prædestinatione sanctorum capite primo. Et addit quod ista quæ sic asserunt Semipelagiani plurimum eosa Pelagianorum errore discernunt. Quomodo autem dice-

rent præveniri nostras voluntates ad omne opus bonum, cum ex alia parte faterentur initia voluntatis bonæ esse a nobis, et a gratia non dari, sed supponi, postea explicabimus tractando de eo quod senserunt circa liberum arbitrium, ejusque vires. Quid etiam nomine gratiæ intelligerent, prævenientis nos, et quomodo in ea explicanda iterum aliqui eorum ad Pelagianum dogma recurrerent, postea dicemus.

Circa id vero in quo proprius eorum error consistebat, et in quo conveniebant cum Pelagianis, satis ambiguum est id dilucidare, et diffusissime tractatur a p. Suarez tomo primo de gratia, prologom. V, præsertim c. VI, cum prius plura c. V de Cassiano, et Fausto Rhegiensi, aliisque Semipelagianis circa eorum asserta retulisset. Nos ut in aliquem ordinem eorum errores reducamus, recensimus ea quæ Massilienses dixerunt, et referunt Prosper, et Hilarius citatis epistolis, quibus si aliqua Cassianus, et Faustus postea addiderunt, ad aliquam majorem explicationem pertinent eorum quæ Massilienses affirmarunt.

Generaliter ergo errores Semipelagianorum ex duobus præcipuis capitibus seu principiis, in quibus ipsi conveniebant, derivantur. Alterum principium ponebant circa prædestinationem Dei, alterum circa liberum arbitrium nostrum, unde varia deducebant corollaria, tamquam errores ex erroribus derivamus.

QUOMODO PRÆDESTINATIONEM
POSUERINT SEMIPELAGIANI.

III. Nominem prædestinationis intelligitur hic non sola transmissio efficax ad gloriam qui est frequentior usus illius nominis apud theologos, sed quodcumque decretum,

seu constitutio aut voluntas efficax Dei circa actus nostros, ut in litteris Prosperi, et in doctrina Augustini libro de prædestinatione sanctorum, et de bono perseverantiæ aperte cernitur. De prædestinatione ergo electorum, et de decreto efficaci Dei circa humanas voluntates tria dicebant Semipelagiani.

IV. Primum, Dei prædestinationem, seu decretum, aut constitutionem, humanas non prævenire voluntates, quia tolleretur libertatem humanam, et fatali quadam necessitate eam ageret, quæ præventio nihil aliud est, quam gratiam Dei, seu decretum ita antecedere omnem bonam voluntatem, ut etiam resistenti, et reluctanti daretur, ut eam converteret, ac non reluctanter faceret; hoc enim perpetuo negabant, tum ne gratia Dei indignis daretur, tum ne voluntatis libertatem læderet, eam immutando, et convertendo ab extrinseco. Constat hoc dictum ex verbi Prosperi referentis eorum errores in citata epistola ad Augustinum: « Removeri dicunt omnem industriam tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, et sub hoc nomine prædestinationis fatalem quamdam necessitatem induci. »

Secundum erat, prædestinationem non esse ita infallibilem, quod non posset numerus prædestinatorum minui, vel augeri, et voluntate sua a dono perseverantiæ deficere. Constat ex verbis ejusdem Prosperi in eadem epistola: « Nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum nec augeri posse, nec minui, ne locum apud infideles, et negligentes cohortantium incitamenta non habeant. » Et Hilarius in epistola etiam ad Augustinum: « Inde est quod et illud pariter non accipiunt, ut eligendorum, rejiciendorumque esse definitum numerum non accipiant. »

Tertium erat, prædestinationem habere certitudinem, non ex se, ut in secundo dicto vidimus, sed ex præscientia, quæ Deus prævidet quid unusquisque facturus est, non solum ex naturalibus viribus, sed etiam quia prævidetur sub adjutorio gratiæ, quo fine discessurus sit, hanc præscientiam dicebant præcedere decretum Dei, ita ut ipsi præscientiæ decretum innitetur, non solum quia inde sumit prædestinationem certitudinem, sed quia per præscientiam videt aliquid futurum tamquam meritum ob quod detur gratia a Deo; eo quod apud ipsos erat infallibile principium, quod Deus non dat gratiam suam, et prædestinationem indignis, ita quod omne bonum meritum præcedat et omne bonum desiderium, alias Deus esset acceptor personarum, si aliquibus indignis daret gratiam, et aliis negaret. Constat ex verbis Prosperi, tum in initio epistolæ, tum in fine. Circa principium inquit: « Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, qua deinceps per Dei gratiam sint juvandi, mansuri sunt, præcise dicunt ante mundi constitutionem Deum, et eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, et de hac vita bono fine excessuros præviderit. » Circa finem vero epistolæ: « Pene omnibus, inquit, par invenitur, et una sententia, qua propositum, et prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque prævideret, et sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset, voluntate, et actione, et præscierit. » Unde ipse Prosper ibidem inter alia consulit Augustinus ut sibi explicet, an præscientia fundetur et innitatur proposito, seu decreto libero Dei, an vero præscientia sit prior, et antecedit decretum libe-

rum Dei, præsertim in his quæ a nostra voluntate dependent, et non a solo Deo fiunt. Quæ loca cum aliis pro exclusione scientiæ mediæ late ponderavimus præcedenti tomo disp. xx. Similiter apud Faustum Rhegiensem tomo quarto bibliothecæ libro secundo de gratia et humanæ mentis arbitrio, c. iii. Invenitur hæc eadem doctrina, dum inquit: « Aliud est præscire, aliud prædestinare: præscientia gerenda prænoscit, postmodum prædestinatio retribuenda describit: præscientia de alieno subsistit actu, prædestinatio de judicio suo: a præscientia quæ sunt nostra produntur, a prædestinatione quæ sunt præparantur, ac per hoc nisi præscientia exploraverit, prædestinatio nil decernit. » Sic Faustus. Quare tota prædestinationis certitudo ab his revocabatur ad præscientiam Dei; præsciens enim quid unusquisque facturus sit ante decretum et prædestinationem suam, quæ humanas non prævenit voluntates, prædestinat Deus, et decernit id quod per præscientiam explorabat in tali, vel tali occasione futurum. Et hoc modo hæresim illam prædestinatorum excludebant, tollendo scilicet infallibilitatem prædestinationis, et causalitatis ejus, ita quod nostras non præveniret voluntates.

QUID CIRCA LIBERUM ARBITRIUM
SENSERINT.

Ut refert Hilarius in epistola ad S. Augustinum distinxerunt Semipelagiani in voluntate nostra vires ad bene operandum, vel solum ad bene desiderandum, vel petendum, aut credendum, quod pertinet ad ipsa initia bonæ operationis. Et dicebant quod nostra voluntas in statu integritatis ante lapsum poterat non solum bene petere et desidera-

re, sed etiam bene velle, et operari, unde tunc gratia adjuvabat hominem bene volentem et operantem, seu bonam ejus voluntatem. Postrata autem natura non remanserunt in nobis vires ad bene operandum, et recte volendum, quæ sunt operationes hominis sani; manserunt autem vires ad desiderandum salutem, et petendum remedium, quæ dicebant esse semina quædam virtutum naturaliter insita animæ nostræ. Et quia nemo potest petere salutem, nisi prius credat Salvatorem, ideo etiam credulitatis affectum ex nostra voluntate esse, gratiamque antecedere dicebant; sicut ægrotus, qui non potest, nec habet vires ad ambulandum, et faciendum opera hominis sani, habet tamen potentiam ad desiderandam salutem, et quærendum medicum, et petendam medicinam. Unde ista initia bonæ voluntatis et facultatis naturalis non in solo actu fidei, et credulitate ponebant, licet hic esset præcipuus, et prior, sed etiam in petendo, pulsando, desiderando, quærendo medicinam, et adjutorium Dei, ut ex Concilio Arausicano II, can. vi et ex Prospero citata epistola constat, illis verbis: « Ad hanc gratiam pervenire nos per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulsando, etc. »

V. Ex hoc principio inferebant aliqua circa vim et rationem auxilii prævenientis, alia circa efficaciam, et sufficientiam auxilii. Circa auxilium proveniens etsi videantur lubrice locuti, tamen imprimis fatebantur voluntatem nostram ad bene operandum Dei gratia præveniri, ita ut ad nullum bonum opus, sive incipiendum, sive perficiendum quemquam sufficere posse concederent, ut Augustinus refert, libro de prædestinatione sanctorum, c. i et Hilarius epistola citata. Cæterum per ly bonum opus, non intelligebant